

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE
CAELANDIS
PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (^{Grand Hôtel}
^{de la Minerve})

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

— **Sacellum pro Sacerdotibus ad sacra litanda** —

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similis; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cunctamittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - **ROMAM**



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

IN RUSSIA

Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

“Kronika Rodzinna”

Krakowskie Przedmiescie, 6.

Montreal

1089, Rue Notre-Dame.

T. et G. Fratrum Parisi
 ROMAE in ITALIA
 in foro Campi Martii, 6

Vincentius Rigacci
officinæ conditor
an. 1789.

PONTIFICA OFFICINA
CANDELARUM AD SACRA
 cui Summi Pontifices PIUS IX, LEO XIII, PIUS X
 honores addidere

*Candelæ ad Sacra in Americas, in insimam Africam, apud Indos, Sinenses, Iaponios
 atque in Australiam exportantur.*



Novarum earumque latissimarum aedium prospectum damus, quas Fr. Parisi ad Candelas ad Sacra cereasque faculas ad noctem fabricandas recens in Urbe a solo excitarunt, et cuique visitandas praebent per tesseram gratuito apud ipsorum centrale officium, Romae in foro Campi Martii, 6, potentibus distribuendam.

Candelarum « tipus oeconomicus » perfectae exustionis venit lib. (*francs*) 225 centenis Kgr. — Merx nullo iubentis impendio in omnes orbis portus mittitur, dummodo trecentis saltem cerea Kgr. constet.

Colligationes ab officina Parisi adhibitae eae sunt, quae deserti traiectionem in camelorum dorso (viginti dierum iter) facillime perferant.

Commerceum epistolare habetur Italica, Latina, Gallica, Anglica, Theutonica, Hispanica lingua.

Ann. XII.

ROMAE, Kal. Aprilibus M DCCCCIX.

Num. IV.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

- De lingua latina (Oratio habita in sollemini praemiorum distributione apud Scholas Pontificiæ Seminarii Romani pridie Non. Februario M CM IX).
- Ex Batavia: Certamen poeticum Hoeufftianum.
- Diluvium. - Carmen FRANCISCV XAV. REUSS in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum a. M CM IX.
- Horatii doctrina de arte poetica in *Epistola ad Pisones*. Dominicae Passionis instrumenta.
- Horae subsecivæ: Tarcisius SS. Eucharistiae protomartyr.
- Cathedralis Albintimiliensis baptisterium.
- Iosephus Ignatius Victor Eyzaguirre.
- Acta Pontificia. - Constitutio de civili Veto seu Exclusiva, uti vocant, in electione Summi Pontificis.

DE LINGUA LATINA

(Oratio habita in sollemini praemiorum distributione apud Scholas Pontificiæ Seminarii Romani pridie Non. Februario M CM IX).

Erit fortasse qui miretur, me, quoties in distributione praemiorum sum allocutus, materiam dicendi sumpsisse semper ex iuvenum institutione, perinde ac si in hoc unum spectandum esset, idemque propositum mordicus defendendum. Quum autem moleste feram querelam iniustum audire illorum, qui indicto quasi bello Romanorum linguae, usum latine scribendi irrident, existimantes qui latinam linguam colunt, apinas tricasque colere: et persuasum iam inde habeam latinas litteras magni per se interesse et plurimum ad iuvenes bene erudiendos conferre, ob eamque rem iuvenibus ipsis, ut Vallaurii utar verbis ac Mauri Ricci, classica vetustatis exemplaria esse proponenda, non alienum puto ab hoc hodierno die, breviter de ea lingua dicere, quae nulla apud vulgus invidia, in omnes liberales et ingenuas artes longe lateque dominata est, modo in praesentiarum sperans me obtenturum, ut quae dico, auctoritate et suffragio vestro comprobetis.

In scholis omnibus una habenda est mens atque ratio instituendi atque erudiendi iuvenes, quo facilis incendantur admirabili quadam amore pulchritudinis atque honestatis, promptique sint mentis cogitata, vel animi sensus proferre ea accuratione et perspicuitate, qua plane distinetque suo certo a proprio vocabulo exponant res, quasi subiiciant mentis oculis. Quemadmodum vero ad unum quasi omnes consentiant homines, homines, inquam, non repen-

tini, sed artibus instructi optimis, non multum aut nihil omnino conferre ad iuvenes excolendos, nuperam litterarum disciplinam, qua studiosorum mentes in vocum originibus perpendendis detinentur, sed illam potius usui esse omnibus, ex qua praestantissimi Itali scriptores prodierunt aetate quae vocatur media; neminem sane praeterit, quantum mores nostri ab illorum industria et probitate defecerint....

Nos itaque dolere cogimur et audire hac tempestate: Iaceat in sordibus latinus sermo, et e contrario iuvenes ad nova excitentur: sermonem calleant Gallicum, Germanum, Anglicum, numerorum doctrinam adament! Sed haec sapientium indigna institutis facile missa fierent, si obstrepenti circum consensu ingenia vel promptiora defessa in medio cursu non deficerent.... Sinamus hos abire, qui veteris disciplinae securi, et rerum novarum appetentes non utilitatem iuvenum sibi proponunt, sed ad suam gloriam et ad marsupium unice spectant; sinamus hos ex sede immortalium quasi delapsos, nova nobis allatueros, abire, quibuscum congregi fas est. Quid ni prudentiam imitemur illorum, qui sedulam ac continentem operam in litteris navarunt?

Quintilianus rhetor aetatis suea longe nobilissimus, natus et industrius doctor operam per annos fere viginti publice impedit iuvenibus instituendis atque erudiendis, librosque scripsit nonnullos, in quibus legitimus verba quae sibi quisque doctor prae oculis habere iubetur: « Pueris, quae maxime ingenium alant, et animum angeant, praelegenda: ceteris quae ad eruditionem modo pertinent, longa aetas spatium dabit »; quod idem est ac: pueri in primis ad elegantiam instituantur et confirmatae aetati reserventur ea quae ad eruditionem modo pertinent,

ne igniculi a natura datí, perversa disciplina restinguantur. Quis infitias ire poterit in scholis secundi ordinis studiose legere ac per volutare Latinos scriptores non solum elegantiam parare, sed quod potissimum est, optimos efformare viros, animosque inflammare ad virtutes, quibus humaniore cultu ipsi excoluntur? Hac tempestate plurimi ad litteras sese conferunt, paucos tamen esse scimus harum rerum intellegentes ac doctos, per paucos demum qui germanam latinitatem optima imitatione adsequantur et ornatae orationis laude commendentur. Hi enim, ut omnibus nobis est compertum, in perdiscenda latina lingua se totos minime transferunt ad scriptores antiquitatis et in eorum lectione et imitatione nec dies, nec noctes versantur ut eam latini sermonis capiant consuetudinem atque exercitationem. Nihil apud eos, qui docti magis videri, quam esse volunt, sunt mores et instituta maiorum: nihil exemplum cultarum gentium, nihil quod semper et ubique est exploratum. Usu scribendi latine sublato, sensim infirmari, deficere ac pessum ire videbitur non scribendi sapor modo, sed et latinae linguae intellegentia, ideoque gravissima damna pati, sicut omnes amoeniores artes. Verum enim vero, ad hoc obtinendum non satis est latinos tantum scriptores versare manu, et omnino se abstinere ab omni cura et labore. Saporem profecto scriptorum antiquorum et suavitatem hand gustare quis poterit, nisi usus accedit atque exercitatio, qua fit ut et qui scribit ad aureae aetatis scriptores conformetur venustate et gratia. Latina lingua non est recepta velut hospes et peregrina, sed in regione nostra tanquam civis libere spatiatur ut in sua sede per ora Tiberis et per Urbem sui altricem atque parentem. Ipsa enim lingua venerabilis aeo, quasi ad requietem senectutis, frequentare videtur gymnasia, utpote domicilia dignitatis: doctis et eruditis concessibus interesse: terrarum extrema velut cisiis inventa perigrinare. Haec lingua orta inter arma, et educata, victoriae fructus non perceptit modo, sed litterarum omnium et artium opes lectissimas ex Graecia direptas, itemque una complectitur quidquid boni praestat, quidquid excellit apud ceteros populos et nationes. Haec servat ac tuetur sanctitatem legum, mores et instituta maiorum, fidem et iussa regum, consilia et scita magistratum, foedera et pactiones gentium, uno verbo et continet illud immortale ac maximum opus, fontem inris universi tum publici tum privati, quod ratione duce ac magistra, excogitatum edidit in lucem, et sanctione firmavit sua Iustinianus Imperator Augustus et vir longe doctissimus. Ad haec etiam, Religio nostra non alia voce, quam Romana, leges suas indicit, morum disciplinam, ritus solemnes ac caeremonias tradit, iura Sacerdotii tradit et explicat, Ecclesiae fastos, augusta oracula vulgat, contemplandam propon-

nit atque adeo colendam animo venerabundo Divinitatem. Haec lingua, inquam, olim per universum terrarum orbem discurrens, humanitatem et cultum invexit in gentes asperas ac feras: hac lingua Capitolium iura dabat populis. Quae civitas tam remota, quam non commoverit eloquentia Tullii, quam non delectaverit Livii ubertas, quam vatuum Latinorum non illexerit numerus? Exiguum, ait M. T. Cicero in oratione pro Rabirio, «nobis vitae curriculum natura circumscriptum, immensum gloriae». Quid aptius autem ad perpetuitatem nominis comparandum, quam lingua latina, testis virtutis animique Romani? Et ne quis facile adducatur ad credendum, oculos in omnes fere Urbes convertat, aedes tum publicas, tum privatas, monumenta ex aere confata aut ex marmore, contempletur, inscripta ac notata litteris Romanis, ex quibus facile intelleget hanc unam augustum quoddam esse aerarium ab ipsa ob-signatum vetustate. Nihil, auditores, magis optandum est nobis, quam ut huic latinae linguae publice honos decernatur quasi ad immortalitatem, et non ab exteris modo urbibus ac populis, sed in primis a nobis ipsis, in hac ipsa civitate, in qua perpetuum sibi ac florens constituit domicilium. Quemadmodum vero nemo sani ac recti iudicet vir inficietur hanc linguam necessariam adhibere praescursionem doctrinæ et disciplinis et ad omnem patrem humanitatem, huius linguae adiumentis, perplexum doctrinarum iter adulescentes ingressi, asperites et anfractus superare, ad sapientiae fontes accedere, abdita quaeque et penitus abstrusa in lucem proferre possunt.

Ad vos, ingenui adulescentes, me verto: animum vos erigit, quibus maxima agendi est copia. Vestris gaudete studiis ac laboribus: in vestra institutione Latinam linguam amate, ut mature labori adsueti, aptaque exercitatione roborati, gravioribus aliquando disciplinis pares esse possitis, ad huius honorem contendentes.

Vos, inquam, alloquor, qui spes societatis publicae et privatae estis: cursus vestros fortunat Eñus vice sacra Antistes Pii X. Pont. Maximi, Petrus Respighius, singulari in vos amore et benevolentia. Dixi.

JOSEPHUS DE GENNARO.

Ex Batavia

Certamen poeticum Hoeufftianum

Accepimus, et libenter edimus:

Die VIII m. Martii in conventu Ordinis Literariorum Academiae Regiae Disciplinarum Nederlandicarum relatum fuit de XXXIV carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de praemio certarent. Horum nullum

aureo praemio dignum iudicatum est. Prelo dabuntur octo carmina præstantissima, si poetae veniam derint schedulas aperiendi. Sunt autem a summo ad imum disposita his titulis: 1. *Ecloga XI, ovis peculiaris*, 2. *De regicidio Ulyssiponensi*, 3. *Rufus*, 4. *Amico monita rebus novis adversanti*, 5. *Aeronavis*, 6. *Pueliae Aurelianensi*, 7. *Dilucium*, 8. *Multum demissus homo*. Auctor *Diluvii*, qui schedulam aperiendi veniam continuo dederat, inventus est FRANC. XAVERIUS REUSS ex urbe Roma (1).

Amstelodami, d. XII m. Mart. MCMIX.

H. T. KARSTEN
Acad. Reg. h. t. ab Actis.

(1) Clarissimo viro et socio laboris nostri maxime dilecto quod novis hisce honoribus fuerit auctus ex animo gratulamus. — Vox Urbi S.

DILUVIUM

CARMEN FRANCISCI XAV. REUSS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO
MAGNA LAUDE ORNATUM

A. MCMIX.

Surgit opus Noachi, surgit vastissima tandem ARCA, tot annorum solemnis et ardua cura (1); caesa revixit enim, rursus matura securi, silva, parens laricum (2), queis immersabile constat navigii corpus. Nunc est extrema carinae et tectis imposta manus; domus hospita cellas exhibit innumeratas, quas undique pingue bitumen firmaque compages tumidis tutantur ab undis.

Iam tribus adest animantium; magna pusillis consociata vides; graduntur mitia passim mixta feris: posuere metum lepus himmuleusque, et posuere suum pardi tigresque furorem; turtur item pepigit cum vulture foedus amicum; nec mirere: Sator sic iusserat orbis et Altor.

Agmen Lamechides (3) longum disparque videri perlustrat; datur et genti sua cuique ferinae in puppi sedes: alio sic Persicus aeo Xerxes attontum metatur ad Hellespontum grandia, multigeno ferventia milite, castra.

Urbibus interea cives agrisque relicitis turmatim pecudum vestigia densa sequuntur. Obvius his Noachus: «Vitiis o ponite — clamat — ponite iam finem, ne vos Deus opprimat ultor. Nuntius ipse Dei, monui vos saepe diuque, quae tamen heu! mea vox in surdas incidit aures.

(1) Centum fere annos expendisse videtur Noe in aedificanda Arca. (*Gen.*, V-VII).

(2) Larix arbor, apud Italos aliasque gentes, in conficiendis scaphis suepissime adhibetur.

(3) Noe patrem habuit Lamechum. (*Gen.*, V).

Hortor nunc iterum, dicturus verba suprema: Quotquot adestis, Adae geniti de sanguine, fratres, si quis amor generis vos tangit, si qua salutis cura movet, violare sacras absistite leges. Turpis avarities ne vos aut foeda voluptas pelliciat; vetitis palmas avertite pomis. Invidus invidiam fugiat, raptorque rapinas; abiiciat sicam, qui vim sitit atque cruem. Sanguinei, quaeso, ne quemquam gesta Caini dedecorent; ornet pietas et candor Abelis. Hostia pura cadat, veterisque piacula vitae eluat, ulturi placata Numinis ira.

Ridetis? Vos o miser! mox flebitis.... At tu, Henoch care nepos, neptis carissima Sella, (1) quos moriens mihi commisit germanus alumnos, discite, vos saltem, sapuisse; venite, critique (urget enim tempus) tutis succedite tectis ».

Noluit heu! audire nepos neptisque monentem. Vatem turba procax risit; vox orta: «Sinister Corve, tace! nostras pergent hilarare chores sistra canora; manu, iuvenes, prenstate puellas, et pede tellurem pulsate rotante sonantem » (2).

Ingemuit monitor; surdis nec plura locutus, in navim iubet uxorem natosque nurusque ferre pedem; ter respiciens, adit ipse carinam; nec mora, caelesti delapsus sede — piorum custos, ultor item scelerum — Deus obserat Arcam.

Obserat, et subitum tonitru longumque per auras infremit; ira, diu sub corde repressa, Tonantis vindex erumpit, scisso velut aggere torrens. Insurgunt venti, luctantur et aethera miscent; nubila se glomerant; sol abditur igneus; atra involvit terram, velamen funereum, nox; mille secant tenebras flammandia fulgura; mille annos sternunt reboantia fulmina querens. Ac simul effusi, diffractis nubibus, imbræ praecipitant; caeli credas instare ruinam. Niliaca levius devolvuntur cataractæ; lenius, abrupto de monte, Niagara flumen evomit in resonam spumosa volumina vallem.

Sistra repente silent, pavor improba gaudia truncat; quisque fugit, qua parte micat, dum fulgetra vibrant, arboreum tegmen pariesse domesticus. Eheu! crescit aquarum vis, penetratque cubilia victrix. Imbre timent fluyi; tumet Oceanus, per et arva ocius excurrens, nova gaudet condere regna. Cives innumeri primis perierte fluentis; ad montes reliqui fugitant; sed et unda fugaces insequitur, pluviis sine fine ruentibus aucta; nec miseros iuga summa iuvant, ubi frigus anhelos enecat atque fames, gurges dum sorbeat ater, pone sequens avidusque nigras attingere nubes.

(1) Utrumque nomen, Henoch et Sella, in *Genesi* (cap. IV et V) ante descriptum Diluvium occurrit.

(2) Confer Matth., XXIV, 37; et Lue., XVII, 26.

Campus in excelso spatirosus monte patebat (1). Huc hominum pecudumque globus confugerat; at iam coeporat unda sequax profugorum lambere plantas. Cunctos terror habet; cernisque leonis et ursi, non secus ac cervi capreaeque, tremiscere membra. Corpora fessa iacent brutorum; voxque subinde flebiliter boat aut rugit, latratve vel hinnit. — Pars hominum, torpore gravi quandoque recusso, iras concipiunt, et aquis caeloque Deoque ipsi atque sibi, vecordes, dira precantur: bis miseri! quos exundans ubi lympha vorari, exuret Rogus, inferni qui flagrat in antris. — Pars redit ad frugem, gemebundum tundere pectus visa, nefasque prius praesenti tergere fletu (2).

Plus reliquis, admissa dolent neptisque neposque, quos patrio Noachus complectebatur amore. Flexis poplitibus, palmas ad sidera tendunt; ora rigant lacrimis, lacrimosi talia fantur: « Iustus es, Omnipotens, qui nos immanibus undis permittis, bonitate tuâ tam nequier usos. Haec merito patimur: tradantur fluctibus ergo corpora, queis inconcessas indulsimus escas. Ast animis, caelo natis vitaeque perenni, parce, benigne Pater; posita fac carne sinantur, culpis iam vacui, iustorum limen adire, lux ubi perpetuum radiat iucunda per aevum ».

Haud procul inde fero tranquilla natabat in aestu Arca, repentinum quam prodit fulgur. Utterque tum clamare nepos: « Quae nos dementia cepit! sanctis qui patrui monitis occlusimus aures; qui, quos damnabat mores ludosque profanos, sectati sumus heu! pubes improvida. Seru nunc sapimus, nostris edocti denique damnis. Arca, vale nobis despecta! valeque superstes patre! te morituri Henoch et Sella salutant ».

Alter erat mensis, polus ex quo nimbifer undis obruerat terram, mare factam littoris expers. Sola ratis Noachi vasto, nil passa malorum, navigat in ponto: superatis, aequore mersis, Alpibus Armeniae. Sacram violare carinam nec potuere imbres, nec fulmina, nec furor Euri, nec scopulorum fraus; nec, quae iactantur in alto, montibus evulsae (tormenta minacia) silvae.

Tandem iusta Dei, deletis sotibus, ira defervet; caelum clarescit, et aurea solis, nubibus exactis pluviisque, refulget imago. Cogitur Oceanus celer ad sua regna reverti; reliquiasque sali rivorum suscipit ultro alveus, aut rimis tellus dissecata profundis; his adiutor adest et sol et fervidus Auster, doctus uterque pigras suctu siccare paludes.

(1) Scenam hoc loco descriptam egregie, in suis *Biblia illustrata*, delineavit Gustavus Doré.

(2) Ex hominibus Diluvio oppressis, multos sub mortem resipuisse, docet Petrus Ap. (Ep. I, e. III, 19, 20).

O quis laetitiam clausorum dicat in Arca, ramum quum viridem dimissa columba reportat! « Terra patescit, io! » — clamat navarchus — ioque! plaudunt vectores, plauditque caterva ferarum; vix ita, quum tellus patuit peregrina Columbo, ille triumphabat. Quatit aethram plausus ovantum; effusisse foras, pia figunt oscula glebis.

Mox altare Deo, gratus de sospite vita, aedificat Noachus; legit agnum vellere et haedum atque bovem niveo; rutilasque e cote favillas excutiens, ferit et flammis tria corpora tradit. Protinus apparet pia nuntia Numinis, Iris multicolor; simul hae resonant ex aethere voces: « Disce, genus Noachi, terrae memor aequore mersae, disce timere Deum, qui MAXIMUS omnia vincit; disce quod OPTIMUS est idem, pelagusque bonorum, viribus hunc totis, totis adamare medullis. Cresce, pusilla phalanx, populorum fertile semen; aucta tamen lateque plagas diffusa per omnes, id ne committas, deleti crimina mundi audax ut renoves, non amne, sed igne luenda » (1).

Innumeris Noacho iam succrevere nepotes; at prior heu! rediit peiorque licentia morum. Num suprema dies instat, qua sidera, caelo delapsura, suis exurent ignibus orbem?

(1) « Nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis Diluvii » (Gen., XI, 11).

HORATII DOCTRINA DE ARTE POETICA in *Epistola ad Pisones*

Quae vocatur epistola ad Pisones, immortale nomen Horatio, famamque peperisse sempiternam nemo negaverit. Neque tamen nexam bene et iugatam de poesi doctrinam quaesieris, ubi, positis quibusdam quasi fundamentis, alia ex aliis distincte consequantur. Nam certe nihil vidi minus; quod et carminis fortasse natura et solutum ingenium Horati postulabat. Itaque nec sunt copulatae satis neque dispositae cogitationes, et totum carmen saltu et intercapidine crebro notatur. Sed haec, quae nonnullis parum recta forte videbuntur, facile obscurantur robustissimis illuminatisque sententiis sale conditis et acumine vibrantibus, quae, terminatae et rotunde propositae, in proverbium et quasi locos communes abierunt semperque apud omnes immortalitate floruerunt.

Operae pretium est singulas artis leges, quae in hoc libro continentur, recensere, earumque vim, copiam, pulcritudinem omnium hac una disputatione comprehendere. Sed nunc aliud quaerimus.

Omissa enim magna praceptorum et utilissima parte ad proxim et ad usum, non ad scientiam artis cognitionemque spectantium, solum Horatii de arte poetica doctrinam exercitatione magis quam sola cognitione legum comparatam et ex ubere ingenio, iudicii prudentiaeque pleno, manantem breviter expōnemus.

Sed ne Horatii more vagemur, certum nobis ordinem statuamus oportet. Primum igitur praincipia Horatianae aestheticae fundamenta proponemus, quibus totum poeticae facultatis aedificium sustinetur; deinde primarias artis regulas, quaeque ad usum magis pertinent subiungemus.

A fundamentis ordiamur, quae ad illa commoda reduci possunt quattuor causarum genera, sapientissime ab Aristotele tradita: *finem* nimirum, *effectorem*, *materiam* atque *formam*.

I.

Ecquis ergo secundum Horatium finis operibus artificiosis? Ars aut delectat aut docet, aut haec duo coniungens docet simul atque delectat:

*Aut prodesse volunt, aut delectare poetae,
Aut simul et iucunda et idonea dicere vitae.*

Sed tamen:

*Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,
Lectorem delectando pariterque monendo.*

Non est mirandum Horatium, poetam « moralem », artis propositum in morum doctrina et institutione collocare.

Ex hoc poeseos fine pulcherrimo sequitur, ut nullus esse debeat poeta mediocritate contentus:

Mediocribus esse poetis.

*Non homines, non di, non concessere columnae.
Ut gratas inter mensas symphonia discors,
Et crassum unguentum, et Sardo cum melle papaver
Offendunt; poterat duci quia coena sine istis:
Sic animis natum inventumque poema iuvandis,
Si paulum a summo discessit, vergit ad imum.*

Praeclare quidem dictum! Enimvero, si haec tam sana et incorrupta praecepta multi sequentur, tanta poematum inconditorum *ris* nostras aures sensusque non *opprimere*.

Adhuc de fine. Quaenam vero sint in poesi causae efficientes, ita Horatius explicat:

*Ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid possit video ingenium. Alterius sic
Altera poscit open res et coniurat amice.*

Unde existunt causae duas efficientes, *natura* et *ars*; primae sunt ingenii partes, secundae artis, quae tamen ingenium perficit atque moderatur. Prudenter itaque Horatius naturae adiutricem proclamat artem, ut, quoniam solitaria vix potest natura ad ea, quae summa sunt, pervenire, coniuncta et consociata cum arte tuto possit faciliusque pervenire.

Ad poesis materiam pertinet in primis hominum vita, et omnia, quae ad eam referuntur:

*Respicere exemplar vitae morumque iubebo
Doctum imitatorum, et veras hinc ducere voces.*

Haec doctrina prudentissima mihi videtur. Ubi enim deest hominis vita, eiusque variae mirabilesque vicissitudines, ubi nulla neque pugnantis neque beati animi commotio apparet, ubi illa, de quibus loquimur, inanima, nullo humanae vitae quasi motu simili ciuentur, nec ad humanam vitam moresque referuntur, ibi friget poesis, in animos non influit, immo vero nulla est.

Propterea praeclarissimus quisque poeta carminis argumentum e media vita desumpsit, resque ipsas inanimas vitam spirare coagit. Inde fortasse illae tam crebrae tamque iucundae loquitiones, quas poeticas appellamus, ut quum dicimus v. g. « Auroram ridere » etc., quibus nihil aliud facimus nisi turbidos animorum hilaresve motus inanimis rebus applicamus.

Sed iam *forma* ipsa restat atque natura poeseos, quae, ut non semel dicit Horatius, in imitatione consistit. Quapropter poetam appellat « imitatorum », eique commendat, quemadmodum supra vidimus, ut in carminibus condendis respiciat exemplar vitae, atque hinc veras ducat voces. Quamquam ista non ita sunt intelligenda, ut poeta quasi cancellis historiae continendus esse videatur. Fingere enim licet poetae, res libere excogitare, facta etiam amplificare aut mutare, ut ita speciem illam pulcritudinis, quam mente concepit, splendide illuminans, aestheticae, ut aiunt, voluptati maxime inserviat. Verum ea tamen omnia, quae narret, sive picta sive vera, omnino debent esse « verisimilia »: id est, talia quae aut fieri potuisse, aut, quod est multo melius, fieri debuisse videantur. Nec alind intendit Horatius, quum tam crebro de veritate fabulae disserit. Sic enim quodam loco aperte dicit:

Picta voluptatis causa sint proxima veris.

Placet nunc adiungere, quid sentiat Horatius de auctorum imitatione:

*Vos exemplaria Graeca
Nocturna versate manu, versate diurna.*

Nimirum scriptores Graecos quasi specimen absolutissimum omnibus ad imitandum proponit; nec tam indisserte « verbum e verbo »; longe enim aliter bona est instituenda imitatio; unde laudibus effert Horatius Romanos:

*vestigia Graeca
Ausos deserere et celebrare domestica facta;
eos scilicet, qui formam ingeniumque Graecorum ad res Romanas celebrandas transtulerunt.*

Dertusae in Hispania.

FRANCISCUS SEGARRA S. I.

(*Ad proximum numerum*).

Dominicae Passionis instrumenta

Dominicae Passionis instrumenta quae tamquam sacras reliquias magna veneratione Christiani prosequuntur, ut apud omnes constat, crux, clavi, titulus crucis, spinea corona, sindon, sancti vultus imago, sacra vestis sunt; quibus secundaria accedunt flagellationis columna, scalae sanctae, lancea, pelvis, postrema coenae mensa. De hisce notitiam aliquam praebere his diebus iuvat.

Crux traditur in altitudinem pedes quindecim partuisse, atque de transverso septem vel octo (metr. 4,95 × 2,50). Romae tria eius fragmenta servantur ad S. Crucis in Hierusalem, quorum maximi longitudine est metr. 0,16.

Partem vero maiorem Romani in Vaticana basilica venerantur, an. MDCCLXXXVI ad Gregorium XVI Maestricht ab urbe dono missa, quo Philippus Augustus Gallorum rex, quum ab Oriente habuisset, importaverat. Minora autem fragmenta exstant et in ipsa Vaticana basilica et in aliis Romanis templis: S. Praxedis, S. Mariae trans Tiberim, S. Pauli, S. Mariae Maioris, S. Mariae in Porticu, S. Ioannis in Laterano, S. Sylvesteri in Capite, S. Mariae de Populo, S. Rocchi, S. Marci, S. Marcelli, S. Francisci ad Ripam; itemque Italis in urbibus Pisis, Anconae, Florentiae, Augustae Taurinorum, Neapoli, Mediolani, Genuae, Venetii.

Gallia crucis fragmenta fideliter tuerunt Lutetiae Parisiorum in theca a Baldovino principe S. Ludovico regi donata, atque in pluribus aliis illius nationis urbibus; Theutones Ragusae praesertim, — quo Paulimirus Belo Roma circa annum M p. C. n. adduxit, — sanctae Crucis reliquias venerantur; Anglia fragmina mentione digna duo asservat alterum a Richardo cui cognomen «Cor Leonis» allatum, alterum in sceptro Anglorum regum inclusum; Belgica Bruxellis tegit, et ea quidem singularia, siquidem fragmentorum unum a Florentio III Hollandiae comite donatum altitudinem metr. 0,47 aequat. Sunt denique et in ipsa Hollandia, in Dania, in Russia et in nonnullis Orientis terrae templis.

Clavorum, qui quatuor fuerunt, non quidem tres, quemadmodum pictores, Cimabue sequuti, passim effinxerunt, est Romae unus ad S. Crucis in Hierusalem; alter in duas partes divisus, Treviris, et Toul custoditas; tertius Carpentras in freni equini formam ab Helena imperatrice redactus, quartus denique Mordetiae in notissima regum Italorum corona inclusum.

Crucis titulus: «Iesus Nazarenus rex Iudeorum», Romae ad S. Crucis in Hierusalem an. MCDXCII reperitus, ibi colitur.

Spinea corona pio cultu in Parisiensi cathedrali honoratur, cui S. Ludovicus rex donavit. Spinae autem singulares servantur et Pisis et alibi, ut Mediolani,

Pii IV S. Carolo Borromaeo nepoti donum, et Romae ad S. Crucis in Hierusalem, ad S. Bernardi, et ad Vaticanum.

Sindoni veneratio impenditur Augustae Taurinorum in magnifico illo sacrario, quod Sabaudiae principes dedicarunt. Camberiaco ab Emanuele Philiberto illuc translata, longitudinem metr. quatuor assequitur, ac mirifice durat, siquidem sanguinis maculas apprime conspicere in ipsa licet: quin imo photographica imago recens expressa maxima Domini corporis lineamenta in ipsa revelavit.

Qui vulgo «Sanctus Vultus» appellatur, id est linteolum imaginem Servatoris habens impressam, Romae ab antiquissimis temporibus in Vaticana basilica asservatur. Historice certum est ipsum an. DCCLV p. C. n. a Iohanne VII Pontifice in sua theca reconditum fuisse.

Sacra quae dicitur Vestis plurium disceptationum causa exstitit, tum Treviris tum Argenteuil urbibus tunicam veneratione insignem possidentibus Iesu Christo attributam, satisque solidis veritatis argumentis hinc inde suffultam. Quin imo tum Moscae tum Romae (ad S. Praxedis) vestium reliquiae custodiuntur, quae Redemptoris fuisse putantur. Retinere igitur iuvat non unam Iesu Christi vestem fuisse, partesque plures tum pallii tum aliarum vestium divisas et religiose a discipulis esse servatas.

Flagellationis columna ex laconico marmore Romae pariter colitur ad S. Praxedis, quo translata est a Iohanne Columna, Purpurato Patre Constantinopoli pontifici legati munere functo, an. MCCXXXIII. In altitudinem patet metr. 0,70, eiusque diametrum ad basim est metr. 0,45.

Scalas Sanctas Romam transduxit in Lateranoque posuit Helena imperatrix an. CCCXXVI. Leo IV an. DCCL constituit ut genibus flexis ascenderentur. Earum veritas ex hoc praesertim confirmatur, quod apprime terrearum scalarum gradibus respondeant in Pilati aedium ruinis superstibus.

Sacra lancea in duas partes divisa fuit, quorum altera, sancto Ludovico Francogallorum regi a Baldovino principe donata est an. MCOXLII; altera Constantinopoli remansit, donec Turcarum rex Baizet II ad Innocentium VIII Pontificem dono misit. Haec in basilica Vaticana adhuc custoditur; illa in Gallicarum rerum eversione an. MDCXCIII perdidita est.

Pelvis, seu potius patera ex qua pie traditur Iesus Christus vinum consecratum discipulis suis hauriendum praebuisse, a Genuensibus inter Caesareae urbis praedas in civitatem suam allata est an. MCXI ibique etiam nunc populus veneratur.

Sacram denique ultimae coenae mensam ex cedri ligno, Romae, ad S. Ioannis in Laterano, videre est.

FORFEX.

HORAE SUBSECIVAE**Tarcisius SS. Eucharistiae protomartyr**

*Ad I. B. FRANCESIA
qui actionem dramaticam, cui titulus Tarcisius
in Voce Urbis scriptam edidit*

*Gloria insignis iuvenum, decusque
Martyrum, salve! pia, quae gementes
Exules fundunt homines benignus
Excipe vota.*

*Dum genus Christi premittit catenis
Caede crudeli lacrimabilique,
Integris vesci cupit Innocentis
Artibus Agni;*

*Interim quidam teneris sub annis
Candidum spirans oculis amorem
En gradum laetus properat beata
Munera portans.*

*O viden', caro fovet alma Iesu
Membra complexu, micat ore fulgor!
Angelus pacis superis videtur
Lapsus ab oris.*

*Ille quum curas animo volutans
Caelicas ibat tenero, viamque
Urget, invitus iuvenum protervum
Invenit agmen,*

*Qui simul noscunt habitu, «satelles
Impli ritus pereat» frementes
Ore conclamat, «canibusque corpus
Pascua detur».*

*Iamque florenti nitidum iuventa
Mox catervatim Fidei ministrum
Turma stat circum studiosa cunctas
Quaerere caussas;*

*Strenue quae ter minitans inermem,
Is licet crebris precibus rogaret,
Tollere, infandum! Domini sacra
Membra volebat.*

*Nulla saevorum potuere verba
Ac furor vanus tumuit minarum:
Dulcius semper premit ille cara
Pignora caeli.*

*Miles insignis pietate diris
Sternitur tandem manibus: decora
Membra foedatus lapidum frequenti
Caeditur ictu.*

*Respicit saevos moriens benignis
Ille licet oculis, precesque
Fundit et dulces meminit sodales
Compede vincitos!...*

*Ilico vulgus stupet et furore
Fervet elusus, iuvenile pectus
(Grande portentum!) subiere Sancti
Corporis Artus...*

*O Fides quantum potis es! superbos
Sternis et fortis tot inire pugnas
Debilem divo iuvenem senemque
Robore firmas!...*

*O nimis felix pietatis heros,
Dia qui casto potuit fovere
Membra complexu pariterque fortem
Linquere vitam!*


*Nunc choro adiunctum Superum Theander
Te suis lustrat radiis, fruique
Ob necem donat tibi sempiterni
Munere honoris:*

*Spiritus felix! iubar addis astris
Lucidis caeli Superumque turbæ,
Vere ceu campo rosa dat decorum
Molle virenti.
Scr. ad Rivum Corbelli
Lysander Donnini.*

Cathedralis Albintimiliensis Baptisterium

Prope cathedrale templum eidemque adhaerens exstat Albintimili baptisterium, quod antiquae disciplinae ritibus, quibus olim baptismus in ecclesia conferbatur, omnino respondeat; unde sententia fuit celebriorum antiquitatis studiosorum, et in primis Theodori Mommsen, illud ad saeculum christianum V vel VI esse referendum.

Structuram octangulam habet, quae diametrum metr. 8 et amplius attingit, ultra loculos 8, quorum, quatuor orbiculari forma, et quatuor rectangula donati, ad altitudinem metr. 8,50 surgunt, ita ut singuli orbiculari forma constantes, tholum semicircu-



Cathedralis Albintimiliensis baptisterium.

larem sustineant, qui in parvam « laternam », ut dicitur, desinit.

Dolendum quippe est, quod vetustum aedificium hoc saeculo XVI in duas partes divisum fuerit, ut superior in sacellum extruderetur, quod in templi adhaerentis commodum deserviret. In aedificio medio concha lapidea ingens perstat forma octangula, ad cuius latera sibi invicem oppositi bini loculi manent orbicularis, ad sacrum baptismum rite conferentium commodum. Nec praetereundum, intra concham eamdem gradus haberi, quod, ut D'Agincourt testatur, remotam antiquitatem sapit, et foramen ad aquarum exitum. Adest quoque ad latus vas lapideum magnum in formam veluti mortarii cuiusdam, ad cuius ora literis, deformibus quidem, antiqua scriptura monet sacerdotem *Ioannem ann. MCDI has fontes rogare iussisse*; quod ad infantium baptismum inservisse periti asserunt.

Per annum aedificium hoc passim ab extraneis invisit qui per hanc transeunt urbem, et hiemali tempore praesertim, ab alienigenis, qui ad Ligurum Gallorumque fines tepido aere recreantur. Hieronymus Rossi Eq. torq. monumentum hoc, ut cetera, quae apud Albintimilium exstant, peritis disquisitionibus illustravit.

CALLISTUS AMALBERTI.

Imitatio per se ipsa non sufficit, vel quia pigri est ingenii contentum esse iis, que sint ab aliis inventa.

QUINTIL., Inst. orat., X, 2.

Gravior et validior est decem virorum bonorum sententia, quam totius multitudinis imperatae.

CICERO.

Iosephus Ignatius Victor Eyzaguirre

Qui Romae in hoc Latinae atque Americanae humanitatis seminario scribit, facere non potest quin memoriam ante omnia illius recolat, qui agrum hunc apparavit, primum seruit, primosque carpsit uberrimos fructus; itaque de Iosepho Ignatio Victore Eyzaguirre breviter hodie dicens, quasi debitum solvere ex parte mea putavi.

iv Kal. Martias an. MDCCCLXVII, quum etiamtum omnes Americae Latinae regiones adversus Hispanicam civitatem strenue pro libertate assequenda decertarent, Sancti Iacobi, in urbe Chilensis Reipublicae praeclarissima, ex Iosepho Ignatio Eyzaguirre et Maria a Mercede Portales, assiduis hic divinae gloriae procurator natus est. Pater antiqua nobilique stirpe prognatus, Senatoris, Publicanorum Magistri et a consiliis negotiorum publicorum munus obtinuit. Mater vero hominem in rebus publicis politicisque maxime versatum, Didacum Portales, fratrem habuit.

Quum vero opera quae merito auctori suo imprimatur famam compararunt nostrum sit incepsum proponere, ne a proposito discedamus, eum in vita, ut dici solet, publica tantum spectabimus, egregiae eius titulos familiae, iuveniles annos, diligentem in philosophicis theologicisque disciplinis institutionem, quae ad sacerdotalem demum dignitatem eum evenerunt, silentio praetermittentes.

Itaque Eyzaguirrius, aliquot post annos quam fuerat sacerdotio initiatus, quum trigesimum aetatis annum ageret, librum cui titulus *Ecclesiastica Chilensis Reipublicae Historia* tum Ecclesiae tum Patriae perutillem, et a pluribus iisque doctissimis viris magnis laudibus elatum, et publico quoque certamine praemio donatum, edidit. Quare cives sui eum conventus oratorum legibus ferendis propraepositum, episcopus autem theologicae facultatis Decanum in athenaeo Sancti Iacobi nominarunt.

Anno vertente MDCCCLII, politicis de causis patriam relinquere compulsa, per quatuor annos plurimas orbis regiones peragravit, ac mores, habitus, populorum penes quos esset in civilibus institutonibus progressus, defectus observans, omnia denique pulcherrima ac maxima digno laude volumine complexus est, quod *Catholicismus coram dissidentibus*, inscrispit.

Angebatur praesertim Eyzaguirri animus inscitia, partim civiles ob motus, partim propter civilium oppressionem magistratum, undique eo tempore in iuvenes ad sacra obeunda in America Latina desti-

natos, irruente; et quo facilius quidquam huiusmodi opponere posset ignorantiae, Collegium aliquod ecclesiasticum erigere statuit. Omni igitur studio virentium tunc in Europa seminariorum et statuta et vivendi normas perpendit. Quum autem, omnibus simul consideratis, difficilis omnino in America novi et conditoris fini respondentis seminarii erectio videretur, bonum ipse duxit, si tale seminarium pro universa America Latina sub Vaticanae arcis umbra constitueretur.

Quapropter mense Ianuario an. MDCCCLVI Pium IX P. M. adiit eique fidenter exposuit quaenam cause, quaenam difficultates, quaenam denique ex hac institutione oritura esset utilitas, et Apostolicam benedictionem operi quod meditabatur, litterasque ad Episcopos ut tanto operi faverent, impetravit.

Quibus acceptis, Americam repetiit, eiusque regiones, magna quidem difficultate (dearant enim illo tempore ferriviae) lustravit, Episcopos invisit, opus quod pree manibus habebat ostendens.

Inde factum est ut an. MDCCCLVIII cum nonnullis adolescentibus in sacris imbuendis disciplinis Roman ex America redierit; fundamentaque die XXI mens. Novembribus eiusdem anni Collegii Pii Latini Americani iecerit; eius inquam Collegii, quod tot annis praecepit fuerat conditoris cogitatio, quodque, licet humilibus innixus principis, in dies tamen crescentis, copiosam nunc adolescentum multitudinem complectitur, et maximam hue usque Latinae Americae attulit utilitatem.

Tantus igitur labor, tanta pro divina gloria sollicitudo praemium aliquod, hoc etiam in aevo, mereri videbantur; Pius IX P. M. eum Protonotarium Apostolicum ad instar participantium renuntravit.

Aucta vero dignitate, erga opus iam constitutum amor simul est auctus, magisque crevit crescentibus difficultatibus et angustiis, eoque immo pervenit, ut propriam domum, apud forum Minervae constitutam, tam sibi carae institutioni donaret. Virtus eius, eiusque constantia, in omnibus aequo animo ferendis, non parvo tunc nitore colluxere.

Mense Ianuario an. MDCCCLX a Pio IX Ablegatum Apostolicum in Aequatorialem, Peruvianam, Boliviannamque resplicas missus, quanta ibi diligentia ad opus sibi commissum peragendum, et ad Episcoporum, excellentiumque virorum Collegio benevolentiam captandam adlaboraverit, impossibile dictu est. Quum brevem post absentiam, tertio Aequatorialem peteret rempublicam, domesticis afflictus calamitatibus in patriam remigravit, ibique per decem annos ecclesiasticis se tradidit ministeriis, donec, mortua matre, ultimo ad Europaeas plagas itineri se commisit, et vale supremum Latinae Americae dedit, de qua tam bene erat meritus.



Iosephus Ignatius Victor Eyzaguirre

(Ex tabula in Pont. Coll. Pio Latino Americano recente dicata).

Itaque, exeunte anno MDCCCLXXIII, Romam venit, sexque sacrarum volumina concionum, in quibus, sinceritas veritatisque vestibus ornata, catholica exsplendescit fides, assidui decem annorum laboris fructum, Collegio ab ipso condito, benevolentiae qua semper illud prosequutus erat, obtulit testimonium.

Sed iam tantus vir magnis pro Divina Gloria perfunctus laboribus, caelestem patriam ardenter concupiebat, nec procul dies erat quo ex corporum vinculis evolare. Quum ergo in Italianam a Palauina, quo, devotionis causa, quarto perrexerat, revertetur, eius anima ad aeterna carpenda gaudia, suarum virtutum praemium, profecta est; corpus autem in mari aquas est coniectum XVI Kalendas Decembris an. MDCCCLXXV. Alexandriae Aegypti urbis, at minus, templa domusque conspiciebantur....

ALOYSIUS CALLISTUS LEIVA
Pontificii Collegii Pii Latini Americani alumnus.

Est deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

OVID., Fast., VI.

ACTA PONTIFICIA

Constitutio de civili *Veto* seu *Exclusiva*, uti vocant, in electione Summi Pontificis (1).

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Commissum Nobis, Deo sic disponente, universae Ecclesiae regendae munus serio admonet ut pro viribus caveamus, ne ex alienae potestatis incursu ea libertas quidquam detrimenti capiat, qua Christus in commune bonum ipsam donavit quamque tot evangelii praecones, tot sanctissimi antistites, tot illustres Decessores Nostri verbo, scriptis, effuso etiam sanguine propugnarunt. Quorum exemplis et auctoritate permoti, ubi primum hanc Petri Cathedram, licet impares, ascendimus, Apostolici officii Nostri esse duximus in id maxime incumbere, ut vita Ecclesiae libere omnino explicetur, omni externo interventu remoto, prout ipsam evolvi divinus Institutator voluit, atque excelsa eius missio omnino requirit.

Iam, si qua est in Ecclesiae vita functio quae huiusmodi libertatem postulet maxime, illa profecto censenda talis, quae in Romani Pontificis electione versatur; siquidem *salus, non unius membra, sed totius corporis agitur, cum de capite consultur* (2).

Huic plenae libertati in Summo pastore eligendo opponitur in primis civile illud *Veto*, a supremis non nullarum civitatum rectoribus haud semel prolatum, quo tentatur aditum ad Supremum Pontificatum alicui praeccludere. Id si aliquoties accidit, Apostolicae tamen Sedi probatum est nunquam. Quin etiam Romani Pontifices, in iis quae de habendo Conclavi constuerunt, nihil paene maiore contentione studiove conati sunt, quam ut externae cuiusvis potestatis interventum a Sacro Cardinalium senatu ad Pontificem eligendum vocato propulsarent. Rem plane declarant constitutiones «*In eligendis*» Pii IV; — «*Aeterni Patris*» Gregori XV; — «*Apostolatus officium*» Clementis XII; in primisque Pii IX, «*In hac sublimi*» — «*Licet per Apostolicas*» et «*Consulturi*».

Verum, quandoquidem et experientia docuerit, hactenus constituta ad impediendum civile *Veto*, seu *Exclusam*, non ita votis respondisse, et ob mutata temporum adiuncta huiusmodi civilis potestatis immixtio nostra aetate multo videatur magis omni rationis et aequitatis fundamento destituta; idecirco Nos, pro Apostolico Nobis commisso munere, et Praedecessorum nostrorum vestigiis inhaerentes, re mature deliberata, certa scientia et proprio motu, ci-

(1) Quum de constitutione hac, maximi quidem momenti, diaria et commentarii passim his diebus loquuntur, operae pretium duximus eam, licet in Apostolicae Sedis et commentario officiali, nondum publici juris factam, scolis et lectoribus nostris offerre.

(2) GREGOR. XV Constit. *Aeterni Patris* in proem.

vile *Veto*, sive *Exclusam* quam dicunt, etiam sub forma simplicis desiderii, itemque omnes interventus, intercessiones quaslibet omnino reprobamus, edicentes licere nemini, ne supremis quidem civitatum moderatoribus, quovis praetextu se interponere aut ingere in gravi negotio electionis Romani Pontificis.

Quamobrem in virtute sanctae obedientiae, sub interminatione divini iudicij et poena excommunicationis latae sententiae speciali modo reservatae futuro Pontifici, omnes et singulos S. R. E. Cardinales, tam praesentes quam futuros, pariterque Secretarium S. Collegi Cardinalium aliosque omnes in Conclavi partem habentes, prohibemus, ne, quovis praetextu, a quavis civili potestate munus recipient *Veto* sive *Exclusam*, etiam sub forma simplicis desiderii, proponendi, ipsumque hoc *Veto*, qualibet ratione sibi cognitum, patefaciant, sive universo Cardinalium Collegio simul congregato, sive singulis purpuratis Patribus, sive scripto, sive ore, sive directe ac proxime, sive oblique ac per alios. Quam prohibitionem extendi volumus ad memoratos omnes interventus, intercessiones aliosque modos quoslibet, quibus laicæ potestates cuiuslibet gradus et ordinis voluerint sese in Pontificis electione immiscere.

Iisdem denique, quibus Decessores Nostri, vocibus, S. R. E. Cardinales vehementer hortamur, ut in eliendo Pontifice, *Principum saecularium intercessionibus ceterisque mundanis respectibus minime attentis* (1), sed unice Dei gloriam et Ecclesiae bonum pre oculis habentes, in eum sua vota conferant, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae prae ceteris idoneum in Domino iudicaverint. Volumus etiam Nostras has Litteras una cum aliis id genus Constitutionibus legi coram omnibus in prima Congregatione post obitum Pontificis haber solita; rursus post ingressum in Conclave; item cum quis ad purpurea honorem fuerit erectus, interposito sacramento de religiose retinendis iis, quae in praesenti Constitutione decreta sunt.

Contrariis quibuscumque, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, minime obstantibus.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae inhibitionis, mandati, declarationis, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, praecetti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum Eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo nonagesimo quarto die xx Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

(1) Pii IV Constit. *In eligendis*, § 26; CLEM. XII Constit. *Apostolatus officium*, § 5.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS
SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Consistoriali.

— Facultas concedendi clericis, iam in sacro presbyteratus ordine constitutis, dispensationem ab irregularitate, vel a titulo sacrae ordinationis spectat ad S. Congregationem Concilii (Ex decr. d. xxvii mens. Febr. MCMIX).

Ex Congregatione S. Officii.

Decretum. — Sacerdotem Romulum Murri e firmana dioecesi, erronea ac seditiosa in Ecclesia Dei scripto et verbo disseminantem, Ecclesiastica Auctoritas, paternis monitis et medicinalibus etiam poenis, ad saniores sensus iterum iterumque revocare non omisit. Ipse vero nihili haec omnia pendens atque in censuris temerarie insordescens, pervicacis rebellionis exemplum seipsum praeberet non destitit. Quare ne ex longiori mora scandala inter ipsos fideles invalescant, Suprema haec Sacra Congregatio Sancti Officii, de expresso SSimi D. N. Pii Papae X mandato, in praefatum sacerdotem Romulum Murri novissimae peremptoriae canonicae motioni obfirmata contumacia refragantem, sententiam maioris excommunicationis nominatim ac personaliter pronunciat, eumque omnibus plecti poenis publice excommunicatorum, ac proinde vitandum esse atque ab omnibus vitari debere, solemniter declarat. — Romae, ex Aed. S. O. die xxii mens. Martii MCMIX.

Ex Congregatione de Religiosis.

Ante professionem votorum solemnium sanctimonialis voluntas, quae ante vestitionem professionemque votorum simplicium, iuxta S. Concilii Tridentini praescripta, fuit legitime explorata, denuo exploranda est. (Ex decr. d. xix mens. Ianuarii MCMIX).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum.

— Possunt tolerari instrumenta musica *oboeis et clarinettes*, dummodo moderate, et obtenta pro quovis opere ab Ordinario licentia, adhibeantur. Instrumenta vero vulgo *timpales seu tympanos* permitti nequeunt in musica et orchestra religiosa. (Ex decr. d. xiii mens. Novembr. MCMVIII).

— Attenta praesertim consuetudine et Rubrica Ritualis Romani, quae praescribens paramenta violacea, in casu non excludit nigra, licet cadavera sacerdotum induere casula vel planeta nigri coloris. (Ex decr. d. xx mens. Novembr. MCMVIII).

— Benedictio nuptialis, prout in Missa pro sposo et sponsa, etiam extra Missam impetriri non potest. (Ex decr. d. xii mens. Febr. MCMIX).

— Vicarius generalis procedere debet ante omnes dignitates et canonicos, dummodo non sint parati sacris paramentis. Vicario generali habitu vicariali induito danda est praecedentia semper et ubique supra omnes dignitates et canonicos sacris vestibus non indutos. (Ex decr. d. x mens. Junii MCMIV).

VARIANDA ET ADDENDA IN MARTYROLOGIO ROMANO:

TERTIO IDUS FEBRUEARI (11 Feb.). — Lapurdi, in Gallia, Apparitio beatae Mariae Virginis Immaculatae — In Africa natalis sanctorum, etc.

PRIDIE IDUS FEBRUEARI (12 Febr.). — In Hetruria, apud Montem Senarium, sanctorum septem Fundatorum Ordinis Servorum beatae Mariae Virginis, qui post aspernum vitae genus, meritis et prodigiis clari, pretiosam in Domino mortem obierunt. Quos autem in vita unus verae fraternitatis spi-

ritus sociavit et indivisa post obitum populi veneratio prosecuta est, Leo decimustertius una pariter sanctorum fastis accensuit.

Barcinone in Hispania, etc.

QUINTO IDUS OCTOBRIS (11 Oct.). — Post elogium: «Uretiae, in Gallia Narbonensi, S. Firmini, Ep. et Conf.» ponatur: Calotii, in dioecesi Astensi, olim Papiensi, sancti Alexandri Sauli, Episcopi Confessoris, e congregatione Clericorum Regularium sancti Pauli, quem genere, virtutibus, doctrina et miraculis clarum Pius decimus sanctorum fastis adscriptis.

In Scotia, sancti Canici, etc.

DECIMOSEPTIMO KALENDAS NOVEMBRI (16 Oct.): Ad calcem, post verba «ratum habuit et confirmavit»: Muri, in Lucania, sancti Gerardi Majella Confessoris, laici professi congregationis sanctissimi Redemptoris, quem miraculis clarum Pius decimus Pontifex Maximus sanctorum albo accensuit. (Ex decr. d. ix mens. Septembr. MCMVIII).

Ex Sacra Poenitentiaria.

DE COMPOSITIONIBUS CIRCA BONA ECCLESIASTICA IN GALLIA. — Nihil timendum est ne ex aequa compositione iniustis bonorum Ecclesiae detentoribus concessa ipsius Ecclesiae iura in se pessundent seu minuantur. Primum enim per huiusmodi compositionem nullatenus relevantur praecipui spoliatores seu auctores iniquarum legum, quarum vi bonorum Ecclesiae directio et alienatio consummata fuit. Deinde tandem abest ut ea compositio obligationem integre restituendi pro ipsis iniustis detentoribus vel diffiteatur vel solum dissimilat, ut eam potius praesupponat, atque ostendat in Ecclesia ius plene vigens eam exigend. Siquidem qui per benignam compositionem alicuius rei partem condonat, eo ipso ostendit omnimodam sibi esse facultatem de ea re libere dispondendi; qui autem compositionem petit vel sollempniter acceptat, debitum suum manifeste recognoscit et profitetur. — Quae quum ita sint, sedulo cavendum est ne forte per rigidiorem quamdam agendi rationem, hac in re, suprema Romani Pontificis auctoritas circa bona Ecclesiae temporalia coartari videatur, atque insuper adiuvetur ipsum consilium impiorum, qui eo demum spectant, ut animas pretiosas D. N. I. C. sanguine redemptas in aeternum perdant. Multi enim sunt in Gallia, quorum in mente fidei lumen non penitus extinctum est, qui tamen, impellente temporalis lucri cupidine, bona Ecclesiae directa accipere non dubitarn. Hi autem si tote poenarum et obligationum rigore urgeri se senserint, harum difficultate territi, potius in peccato insondere, quam iustis S. Matris Ecclesiae querimonii satisfaciebant. Contingere etiam potest ut, imminentie mortis periculo, propinqui seu haeredes moriturorum negent morem generare postulantibus sacerdotem confessarium, veriti ne eius hortatu morituri ipsi de integra bonorum Ecclesiae restituitione rite disponant; atque ita fieri ut miseri, non obtenta addiccionis absolutione, ac non sine gravi scandalo e vivis decadant. Contra, per benigniorem compositionem dum spirituali debilitum bono consulitur, aliqua saltem ex parte resarciantur Ecclesiae damna, maiorque affulget spes fore ut etiam renitentes, facili reconciliationis conditione allecti, ad salutarem poenitentiam bonaque frangem serius oculus deveniant. — Recolendum quoque est censorum finem non esse solam criminis vindictam, sed praecipue respicentiam delinquentium. — Hinc factum est ut, in similibus adjunctis, Summi Pontifices, licet immutabilia Ecclesiae iura alte proclaimaverint, aequali tamen compositionem semper et benignissime permiserint; quemadmodum peregisse constat, inter alios, Iulium II, anno MDCIV, cum Anglis; Clementem XI, anno MDCCXIV cum Saxonibus; Pium VII, superiore saeculo, cum ipsis Gallis; et nuperissime Pium IX ac Leonem XIII.

cum Italis. — Ceterum normae peculiares in concedenda compositione servandae adeo perspicue definitae sunt in litteris Emi Cardinalis a secretis Status (d. xxiv mens. Septembris MCMVII), ut nulla videantur indigere declaratione. Si quatenus in praxi oborta fuerit dubitatio, primum erit recurrere ad S. Poenitentiarium, quae singulis, uti par est, absque mora faciet satis. (Ex litt. ad Ordinarios Galliarum missis d. XVI mens. Ian. MCMIX).

DIARIUM VATICANUM

(Die XXI mens. Febr. - d. XXI mens. Martii MDCCCIX)

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos antistites, aliosque viros, qui sui quisque muneric gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Murgerin doctor, catholici athenaei Insularum rector; De Courcelle dynasta; Urbanum parochorum collegium cum saeculis Quadragesimae oratoribus.

Pontificiae electiones.

R. v. Alexander Piquemal episcopus tit. Thagorensis eligitur et Algeriensis episcopi coadiutor.

— Excmus vir Matthaeus de Oliveira Xavier, episcopus Coccinen. ad Goanam metropolitanam atque Indiarum Orientalium Patriarchatum promovetur; in eiusque locum sufficitur r. v. Iosephus Benedictus Martins Ribeiro.

— R. v. Everardus Illigenus episcopus tit. Germaniciana dicuntur et Monasteriensis episcopi coadiutor.

— R. p. Hyacinthus Ialebert e Congregatione Spiritus Sancti episcopus tit. Telepten., Vicarius Apostolicus Sene-gambiae et Praefectus Apostolicus Senegalensis. creatur.

— R. p. Pius Doloring O. P. archiepiscopus Portus Hispaniae, et r. p. Franciscus Fridericus Linneborn e Congregatione S. Crucis episcopus Dacchen. renunciantur.

— Excmus v. Petrus Iosephus Hurth a Dacchensi diocesi ad episcopatum tit. Milopotamen. transfertur.

— Inter episcopos Pontificio solio adstantes referuntur excellentissimi viri Carolus Csáky, episcopus Vacien. et Paulus Aemilius Iosephus Henry, episcopus Gratianopolitanus.

— RR. vv. Antonius Nierman et Petrus Ryan e dioecesi Davenport. inter Protonotarios Apostolicos ad instar participantium cooptantur.

Vita functi viri clariores.

Die XXVI mens. Februarii, Toleti, Purpuratus Pater Cyriacus Maria Sancha y Hervas, illius Metropolitanae Ecclesiae archiepiscopus et Indiarum Occidentalium patriarcha, Quintana del Pidio in oppido Oxomensis diocesis natus d. VII mens. Junii MDCCXXXIII, in Sacrum Senatum cooptatus d. XVIII mens. Maii MDCCXCIV presbyterali titulo S. Petri in Monte aureo; vir doctrina et pietate insignis.

Probatos libros semper lege, et si quando ad alios diversere libuerit, ad priores redi.

SEN., Ep., II.

Longum iter est per praecipa; breve et efficax per exempla.

SENEC. IUN., Ep., VI.

ANNALES

Balkanica res.

Per alternas spei ac timoris vices labentis mensis spatium circa Balkanicam rem praeterit. Post participationem enim inter Austros Turcasque, conclusas, Russorum gubernium quum Serbico suadere contendisset ut territorii vindicationes tandem remitteret, quo id facilis ac palam efficeret, Austri Bellogradum litteras miserunt, quae occasione arrepta a commercii foedere pro tempore sancto ac proxime dilapsuro, modum offerrent directe cum ipsis agendi.

Serbi vero Russiae atque simul civitatibus omnibus Berolinensi notissimo foederi adhaerentibus responderunt nihil se ab Austria petere, sed suam causam civitatibus ipsis tradere, quibus Bosniaca res in habendo internationali conventu tractanda esset. Hic sermo consulto anceps et flexiloquus Austris item ac Germanis visus est, qui vehementer institerunt ut ab conventu illo tractatio quaevis de Bosniaca quaestione, iam ab Austris et Turcis inter se definita, prorsus amoveretur. Tum Italici administris sese suis litteris interponunt, fines ipsius conventus ita proponentes, uti, tamquam inutili ac periculorum plena habita rerum iam actarum disceptatione, explanetur ac, si opportunum videatur, Berolinense foedus reformetur circa novum statum in Balkanica regione exortum. Consilium huiusmodi, magna quidem industria ac dexteritate expositum, omnibus futurorum eorumque tristium eventuum pondere oppressis levamen quodammodo attulit; quumque hodie tradatur Russia ipsa his propositis accessura, sperantiam omnes futurum, ut formidatum bellum distineri possit.

Adde Georgium, Serborum principem regni haeredem, et belli supremum fautorem praedicatum, successionis iure se abdicasse, et ad privatam vitam ex hoc recessisse, quod indignis calumniis circa domesticam vitam suam a diariis afficeretur; quae prorsus causa incongruens cum effectu aestimatur, quum contra hanc veram esse dictent, ipsum desideria sua in vanum cessura sensisse.

Itaque et hodie nostrae de re notae finis illis verbis imponendum: Si rosae sunt, florebunt.



Ex Perside et ex Australi America.

Graviora proculdubio ex Perside et Australi America nunciantur; illic enim Imperatore latam constitutionem restituere nolente, factio evertendarum rerum cupidorum in dies crescit; hic Nicaragua et Sancti Salvatoris civitates altera in alteram acie decentant.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia reformationes circa Indiarum administrationem adprobatae; cum Siamesi imperio foedus conclusum; rogatio legis oblata qua salarii minimum opificibus statutatur.

In Austria Bienerth, administratorum consilii novus praeses, civilium rerum statum exposuit legemque de militum delectu atque pactiones commercii tum cum Bulgaria tum Mexico ratas vidit.

In Gallia post longam disceptationem expleta tandem lex de redditum vectigalibus. De publicorum accensorum ab opere ex condicto desertionibus sollemni voto cautum.

In Germania dum rationes accepti et expensi ad trutinam vocantur, navalium rerum administer Tirpitz gubernii consilia exponit de Germaniae classis fastigio.

In Hispania Primo de Rivera bellicae rei administratio munus abdicanti Linares supremus dux sufficitur.

In Italia novis habitis comitiis, regali oratione novorum populi legatorum sessio inaugurata est.

In Romania administratorum collegio, cui Averesco praecurat, ab officio recessit.

In Russia publicae pecuniae praefectus Kokowzew de opibus regni sermonem habuit. Roediger, bellicae rei administratio, Suchomlinow suffectus.

In Turcarum imperio gubernio obstantium incitatio ad removenda decreta de iure coeundi reiecta est.

PER ORBEM

Die XXII mensis Februarii MDCCCIX, Omahae, plebs in Graecos insurgit eorumque domos triginta diruit.

— d. XXIII Philippus, Aurelianensis dux, Genuam appellat.

— d. XXIV in Ligurnensi portu Belgarum pyroscapha Kurland in Anglicam Osiris occurrit. Haec undis submergitur; incolumes vero viatores prospere evadunt.

Ater nimbus Fischer urbem Arkansas provinciae solo aequat.

— d. XXVI Caram d'Ache, ridicularum imaginum auctor notissimus, Lutetiae Parisiorum obit.

Die IV mens. Martii, Washingtoni, Taft, novus Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis praeses, rei publicae procurationem sollemniter suscipit.

— d. V in Alpibus Belunensibus nivalis procella fuit plura tum satis tum hominibus damna afferens.

— d. VII Varsaviae athenaeum a gubernii militibus invaditur, qui centum et quadraginta iuvenes illuc comitiatum habentes in carcere proiciunt.

— d. VIII Augustae Taurinorum telephonorum aedes ignis praeda fiunt.

— d. IX Saxonum rex Genuam tenet Italianam straturus.

Athenis in publicum coetum legibus ferendis plebs impetu facit. Vis vi repellitur.

— d. XIII in Hispanicis carbonis fodiinis ad Baruelo gaz grisou ex improviso incenditur, plures cunicularii horrendam mortem patiuntur.

— d. XIV Lutetiae Parisiorum qui civitatis telegraphis, telephonis publicisque diribitoris operam impendunt ex condicto a suo officio recessunt. Gubernium, ac deinde publici coetus legati, in huiusmodi ci-vilium munerum desertores agere severe constituant.

— d. XVIII novi terrae atque maris motus in Cablaborum regione lugentur.

MUNDANUM SCIENTIAE SODALITIUM

A clarissimo socio nostro Iacobo Tassetio accipimus, et libenter edimus:

Mundanum Scientiae Sodalitium (Gallice *Alliance Scientifique universelle*) a Leone De Rosny an. MDCCCLXXVI conditum, ex universis civitatibus bonarum artium (quae sunt rationis, orationis aut animi) cultores consocians, rem suam per coetus aut delegations in omnibus terris agit.

Sibi proponit: ut necessitudines inter sparsos orbis eruditos expediat;

ut eis peregrinabundis auxilium praesidiumque praestet, quo ipsorum studia indagationesque consequantur;

ut eis, ubi in aliquam urbem pervenere, statim cum doctis vel scriptoribus artificibus incolis coeundi praebeat facultatem, et quibus rationibus sibi quum publicas, tum privatas patesciant bibliothecas museaque compendiendi. — Ad hanc rem, descriptum quoddam penes eruditos quasi ius peregrinandi, *diploma encyclion* dictum, ab urbis suae coetus magistro postulatione sua impetrant profecturi, quo locorum sibi visendorum coetibus tradi commendarique debeant collegarum ritu;

ut condendas suscit vel confirmet societas suscipiens investigationibus novis addictas;

ut condendas suscit vel expediat bibliothecas aut peculiararia musea, in eis maxime locis, quae longius a magnis disciplinarum sedibus absint;

Ble. Grates tibi habeo. Cur. Ignoscis ergo nuno mihi,
Quod peccavi imprudens? Ble. Non est quod amplius
Te purges. Cur. Dic ergo nunc, quomodo te habes?
Ble. Bene equidem. Cur. Gaudeo. Et gnatus Cleonymus
Ut valet? Ble. Etiam. Cur. Ut sapit? Patrissat? Ble. Sat
[reor.]
Cur. Magis gaudeo. Dat is, puto, operam litteris.
Ble. Nil opus est litteris sibi, sed pecunia.
Cur. Recte autem, Blepharo: dives enim uno minor
Iove est. Ble. In mercatura exercitum volo.
Cur. Euge, euge: pro tua prudentia facis.
Sic alienigenae reputant, qui sapient magis.
Quid tu credis? Modo ex Aegypto hue appulit
Cum paedagogi generosus iuvenculus,
Quem peregre misit ad mercaturam pater.
Ble. Ex Aegypto? Cur. Ita prorsus. Ble. Pecuniosus est?
Cur. Etiam. Navim externis onustam mercibus
Expectat in dies. Ble. Papae! Sed ubi is habet?
Cur. In diversorio. Namque ad Lachetem eum
Legarat pater ex condicio cum litteris,
Apud quem degeneret, qui nuper obiit,
Ut noris. Ble. Lachetem Simonis filium?
Cur. Ipsum nempe. Ble. O infortunium! Cur. Numquid
Deesse, qui domi recipient divitem [putas]
Iuvenculum? Hanc opimam praedam plumi
Contendunt: atque ego iam sat novi, qui ambiant.
Ble. Credo equidem. Felix hercle, qui aucupaverit!
Cur. Ipse aucupabis, Blepharo, modo velis. Ble. Mihi
Nunc illudis, Curculio. Cur. Illudam ego tibi?

Non id meum est; ita me Di ament. Ble. Quomodo igitur
Hoc dicas? Cur. Hoc modo: quia in mea manu est,
Ad te Panopheum Aegyptiaci filium
Adducere hospitem, si velis. Ble. Ego quidem
Cupio, at vereor, ut possis; nec enim intellego,
Quomodo per te fiat. Cur. Tua id non interest.
Ad summam, vin tu hosce hospites aegyptios
Domi recipere? Ble. Volo. Cur. Verbum ne adde amplius,
Ipsos prope diem coenatum ad te adduxero.
(Ad proximum numerum).


Epistolarum commercium

Cl. v. C. AM....., Albintimili. — Spatio deficiente,
Colloquium ad proximum numerum.
Cl. v. I. TAS....., Turnoduri. — En, tibi morem ges-
simus.
Cl. v. A. RUD....., Thephelisii. — *Sermo* nimis de certis
viris agebat, quam ut in commentario nostro edere possemus.
Cl. v. I. FON. ET SUR....., Vichii. — Mittas, dummodo
ne de certis viris extra provinciam tuam ignotis tractent.
Cur soluta oratione de utilibus argumentis non scribas?
Cl. v. H. IOH....., Tullamore. — De rebus ad nobilis-
simam gentem tuam spectantibus libenti animo agemus.
Scripta igitur, et si placuerit, figuræ nobis zyncho effig-
gendas, ipse mittas, vel ut ea mittantur cures.


A SECRETIS.

HOROLOGIUM

ad Roskopfii rationem
in germanicis Officinis fabricatum



sociisque Commentarii Vox Urbis
qui subnotatores novos
acquisiverint duos
praemio constitutum



sociisque singulis Commentarii VOX URBIS dono concessum



CAESARIS TIRATELLI tabula
baptismalem pompam in Campania referens (metr. 0,60 × 0,40)
sociis omnibus qui novum unum acquisiverint
gratuito donatur.

NUMISMA

iubente Consilio Centrali
ad
Pii PP. X Sacerd. Jubilaeum
celebrandum
expresse descriptum et cusum

sociisque Commentarii Vox Urbis
qui subnotatores novos

acquisiverint duos

praemio constitutum

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS COMMENTARII VOX URBIS IN AN. MDCCCCIX

Premium annuae subnotationis est in Italia Libell. 6

ubique extra Italiam Libell. 9

(Doll. 1,80; Sh. 7; Mark. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

recto tramite mittendum

ad ARISTIDEM LEONORI Equitem

Commentarii "Vox Urbis" possessorem et administratorem

ROMAM, Piazza del Gesù, 48

Praemia sociis constituta:

Ex subnotatoribus quisque

numisma, iubente Centrali Consilio ad
Pii X P. M. Jubilaeum Sacerdotale cele-
brandum expresse cusum et extra commercium habitum, dono accipiet.

Novi subnotatores singuli

praeterea Vox Urbis kalendario fruentur,
quod socii, qui iam superioribus annis ha-
buerunt, obtinere simul poterunt, dummodo subnotationis pretio lib. 0,25 ad diribitorii expensas
resarcendas addiderint.

Qui socium novum acquisiverit unum,

eiusque subnotationis
selerit, gratis accipiet Caesaris Tiratelli tabulam metr. 0,60 × 0,40 a celeberrimo Urbano S. Mi-
chaelis hospitio splendide caelatam, baptismalem pompam in Campania referentem. — Ab hoc
tamen et sequentibus praemiis bibliopole excipiuntur.

Qui socios novos acquisiverit duos

ut supra, horologium sibi
habet in Germanicis of-
ficiis ad Roskopfii rationem nobis fabricatum.

Qui socios novos acquisiverit tres

eorumque subnotationis pre-
tium miserit, a pretio suo
solvendo eximetur.

Qui socios novos viginti quinque coegerit

ante Iulium
mensem, di-
midiatum pretium itineris habebit ab Italiae finibus Romam usque, atque inde in dissectionis
Italicam stationem, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus.

Qui socios novos coegerit quinquaginta,

uti supra, eodem
itinere gratis om-
nino gaudebit.

Franciscus Ciapponi et Soc.

OFFICINA

ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE

CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS

PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

Diligentia in opere.

Temperantia in pretio.

ROMAE, Via Sistina, 129

Gulielmus Gaudenzi

ROMAE

Tor Sanguigna, 2-3 - Via Coronari, 1

cuique suppeditat coronas, numismata, Christi crucifixi effigies, Sanctorum imagines tum insculptas tum omnibus modis impressas, metallis caelata opera ad sacra vel ad reliquias reponendas, pietatis libros, omniaque in Puellarum Mariae usum; pulchrarum artium specimina, musiva, caelatas sculptas gemmas et similia; quorum maximum apparatus possidet.

Gallice atque Hispanice loquitur.

Diversorium magnum, cui a Minerva nomen (*Grand Hôtel de la Minerve*)

ROMAE, Piazza della Minerva

Diversorium inter optima Romae, in Urbis centro, recens omnino instauratum et commodis omnibus instructum.

Sacellum pro Sacerdotibus ad saera litanda

LEOPULDUS SCOTTI, moderator.

SUPELLEX
AD RES DIVINAS

Commentarii Vox Urbis administratio recto tramite suppeditat suppellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad Vocis Urbis administratorem (Romam, Piazza del Gesù, 48) mittantur, res praecise indicando quas quisque sibi cupit.

Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

Apud Comm. VOX URBIS administratorem (Romae, piazza del Gesù, 48) quae sequuntur opera venumdantur, per Commentarii ipsius paginas iam vulgata:

PETRI ANGELINI Lollius sive *De proiecta latinitate*. — Ven. lib. 1,50.

Fabulae selectae Ioannis La Fontaine latine conversae a FRANCISCO XAVERIO REUSS, C. SS. R. — Ven. lib. 1,25.

Saturio. Comoedia latinis versibus conscripta a IOANNE BAPTISTA FRANCESIA. (In ludis litterarum optima tironibus scenice agendi exercitatio). — Ven. lib. 1.

VOX VRBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Semel in mense prodit

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est:

In Italia: Libellarum 6;

ubique extra Italiam: Lib. 9 (Doll. 1,80; Sh. 7; M. 7; Rubl. 4; Coron. 9)

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem

Commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMAM - Piazza del Gesù, 48 - ROMAM



Subnotatio fieri potest:

IN GALLIA

apud

Librairie Gamber

IN ANGLIA

apud

Burns and Oates

Paris

Rue Danton.

London W.

28, Orchard Street.

IN RUSSIA
Varsaviae Polonorum

apud

Gebethner et Wolf

Rakowscie Przedmiescie, 15.

IN CANADA

apud

Librairie Granger Frères

Montreal

"Kronika Rodzinna"
Krakowskie Przedmiescie, 6.

1699, Rue Notre-Dame,